

009
Lsp

Tom: 74

1. 0.
2. 0.
3. 0.
4. 0.
5. 0.
6. 0.
7. 0.
8. 0.
9. 0.
10. 0.
11. 0.
12. 0.
13. 0.
14. 0.
15. 0.
16. 0.
17. 0.

61.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
TRANSLATIONE
IN VITAM AETERNAM
SINE TRANSITV PER
MORTEM,

A RECENTISSIMO SCRIPTORE ANGLO

IO. ASGILL,

ADSERTA,

QVAM SVB PRAESIDIO
VIRI SVMME REVERENDI,

IO. GEORGII PRITII,
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSO-
RIS PVBLICI,

PRAECEPTORIS SVI ET HOSPITIS

OMNI HONORIS CULTVS

PROSECVENDI,

CVM ERUDITIS INSTITVET PVBLICE
IN ILLVSTRI ANHALTINO, QUOD EST SERVESTAE,

CHRISTOPHORVS Io. VVILCKIVS,
BARBIA-SAXO,

AVCTOR ET RESPONDENS.

HABEBITVR CONFFLICTVS

AD DIEM XXII. APRILIS A. O. R. cIc Ie ccl.

H. L. Q. C.

SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.

REVERENDISSIMO AC SERE-
NISSIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

DN. HENRICO,
DVCI SAXONIAE, IV-
LIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGRIAЕ ET WESTPHALIAE,
LANDGRAVIO THVRINGIAE,
MARCHIONI MISNIAE, COMI-
TI PRINCIPI HENNEBERGICO,
COMITI MARCAE, RAVENS-
BERGAE ET BARBIAE, DYNA-
STAE RAVENSTEINII:

AC
CAPITVLI MAGDEBURGENSIS
PRAEPOSITO,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

primitias studiorum suorum
submississime consecrat

AVCTOR.

REVERENDISSIME AC SERE-
NISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

R Espicias clementissime, obsecro, HENRICE, Dux
Serenissime, hominem, conspectum tuum illustris-
simum demississime subeuntem, & hoc leui ingenii
monumento animum in Tuam Serenitatem pietatis ple-
nissimum ostendere studentem; quanquam id facit au-
daciis, incredibili tua & prope diuina in subditos cle-
mentia provocatus. Istaec proinde dissertatio, quamuis
nulla sit elegantia neque eruditione perpolita; submis-
sisimi tamen subditi cultum, quo absens florentissimam
Principis memoriam tacite deueneratur; & certissi-
mum erga Te obsequiumpignus impertire gestit Tuae Se-
renitati, Patriae Pater clementissime. Deterrebat me
quidem offerendi speciminis huius leuitas; quippe quod
tanto Principi neutquam dignum fore, eram persuasis-
sus. Veruntamen non erat mibi dubium, quin hoc
qualecunque sit, magis ex animo, quo scriptum est, quam
ex aliquo scribendi artificio, ingenii dexteritate rerum-
que grauitate, ponderandum existimatura sit Tua Sere-
nitas. Nec, opinabar, licere mibi, patriae olim in seruien-
di

4 DEDICATIO.
di causa, studiis istis toto pectore incumbenti, primum
meac industriae foetum alterius auspicio emittere in lu-
cem, qui post DEum immortalem ad Tuam Serenitatem,
Celsissime Princeps, omnes meas actiones, omnes meos
conatus, ad quos suscipiendos non vanae cuiusdam
gloriae stimulis, sed ardenti de patria bene merendi stu-
dio compellor, unice referendos duco diligentissimeque
expendo. Noli itaque, Serenisime Princeps, si delissimi
subditit enues respuere conatus; sed buic qualicunque
opellae augustam tuam faciem gratiosissime impertire.
Hoc si consequar, ut confido me consequiturum esse cer-
tissime, satis fructus meae in Tuam Serenitatem pietatis
me tulisse arbitrabor, qui tanta tua humanitate ac
clementia incensus, in litterarum meditatione multo
ardentius, quam factum est hue usque, versaturus sum
deinceps. Interim DEus Optimus Maximus Serenita-
tem Tuam, Clementissime patriae Pater, cum Serenis-
ima coniuge & Serenisimis utriusque sexus liberis in-
columem quam diutissime sospitet.

Tuae Serenitatis

Subiectissimus
CHRISTOPHORVS IO. WILCKIVS.
Συν.

Σὺν τῷ θεῷ.

PRAEFATIO.

Vantumuis homo, Lector Beneuole, multas & eas quidem egregias habeat facultates, a divino Nume ipfi ingenitas & concreatas ; omnium tamen, quaeunque illae sint, si circa naturalia subsistimus, nobilissima praestantissimaque habetur ingenium & ratio. Elucet enim exinde non solum excellens quae-dam diuinæ mentis imago ; qnae contemplatione rerum, quas manu sua produxit pulcheriimas, maximo-pere delectatur ; sed homo quoque sanae rationis lumine praeditus & exornatus , quam maxime valet ad veritatis inuestigandæ studium cogitationes suas con-tuertere ; quo studio sane nihil est in rebus humanis pulchrius, nihil amabilius & nihil denique cum virtutis altitudine copulatius. Interim vero dictu difficile est ac incredibile, quantopere ea sibi ipfi indulget, quantos-que lusus saepè numero faciat; nimia agilitate, qua hu-mana mens in reum causis & indole eruendis agitari solet, nouas notiones quotidie in se excitando , & falsas opiniones, menti suae semel impressas expoliendo & de-fendendo. Iam olim viri, in veræ sapientiae studium vehementer incensi, grauiter conquesti sunt, nihil tam absurdum aut absontum esse, quod non philosophorum aliquis decernere audeat. Causas vero homines in er-

torum huiusmodi viam inducentes , multifarias esse censemus. Fieri enim posse inter mortales credimus, vt eorum mentes persaepeius rebus, veri speciem quandam prae se ferentibus, decipientur; cum primis cum rationes eorum, quae ex alia parte sunt verissimae, non probe percepient; neque ex aduerso in causas sanae rationi oppido repugnantes, altius inquirere sustinuerint. Et quoniam humanum ingenium ad clari & ampli nominis famam consequendam ardenti studio infinitaque cupiditate flagrare solet; nihil non facit & comminiscitur, unde sempiternae gloriae sitis extinguitur. Hinc sane fit, vt quamplurimi, gloriae stimulis admodum concitati, nouis sententiis & nunquam auditis opinionibus inanem hominum ad plausum & vanae gloriae auram aucepuntur; ita vt vix inueniatur, definiente alicubi Cicerone, qui, laboribus susceptis, non quasi mercedem rei gestae desideret gloriam. Nonnunquam autem ingenii imbecillitas, cui maxima hominum pars subiecta teneatur, ad errorem subministrat occasionem; cum mens iudicij acumine destituta , verum ab iis , quae falsa sunt, non recte discernere, nedum omnia ad viuum ressecare valeat. Mirum vero est, quam blande homines a veritatis via semel deflectentes , interdum somniant. Ut enim nonnulli mortales, simul ac dormitare incipiunt, suauissimos ludos imaginandi facultate concipiunt, miras animi species modo coniungentes, modo secernentes,

PRAEFATIO.

tes, modo confundentes; ita hoc hominum genus falsis principiis tanquam arcto quodam somno constrictorum, ludicras & leuissimas opiniones toto animo non solum non verentur amplecti; sed etiam in totum terrarum orbem spargere & disseminare gaudent. Nolumus iam multa in medium proferre exempla eorum, qui omni tempore hoc animi morbo misere laborarunt; cum illorum numerus & multitudo per exiguis harum paginarum finibus circumscribi nequit quam possit; de eo erimus saltem solliciti, quod nuper admodum in Anglia, fertilissima alioquin eruditorum tellure, gestum fuisse accepimus. In hoc regno vir quidam, doctus alias, edito ac perulgato libello, in cuius fine *Io. Asgill* se nominat, argumento non prorsus futili atque inani probare haudquaquam mediocri industria adnititur; quod homo hinc secundum vitae aeternae pactum, quod ipsi cum D^O intercedat, ad beatorum sedes transferri posset, ut ne quidem ex naturae ordine mortem oppetat. Non ineptam operam suscepuros nos esse confidimus; si nouam hanc & a nemine, quantum nobis scire datur, adhuc propositam sententiam paulisper considerauerimus. Ut vero omnia procedant feliciter, Dei auxilium deuote imploramus; de Lectoris benevolentia spem concipientes pariter optimam.

Sectio I.

SECTIO I.

QVAE AVCTORIS MENTEM SISTIT.
SYNOPSIS SECTIONIS PRIMAE.

I.

Exponendam ante omnia esse
mentem Auctoris.

II. Falsum esse moriendum ho-
mini, se velit esse beatus; Christum
promisso homini vitam aeternam.

III. Christi verba esse vera, aut
Christum esse impostorem.

IV. Respondet obiectioni a consue-
tudine moriendi petita.

V. Obiectione nostra aduersus re-
sponsionem Auctoris; consuetu-
dinem facere aliquando ius.

VI. Concedit Auctor mortem
habuisse in humanum genus pos-
sessionem.

VII. Adamus poterat sibi ius ad
vitam facere perpetuum.

VIII. Sententiam legis Gen. II,
v. causam mortis extitisse; Et si-
mul initium consuetudinis mori-
endi.

IX. Ab eo tempore uniuersam
naturam interitum homini stru-
ere.

X. DEum hominibus promisso
redemptionem.

XI. Articuli maledictionem con-
tinentes lex erant mortis, uni-
versum mundum, immo ipsum
Christum sub suo imperio tenen-
tiis; sub hoc vero statu totum
adhuc usque diem esse mun-
dum; etiam Christum ipsum.

XII. Christum gaudere ratione
natiuitatis suae dupliciti descensu
naturali & legali; qui ultimus
faciat, ut maledictio legis & mors
ipse incumberet.

XIII. Christi morte legem mor-
tis esse abolitam.

XIV. Christum ad vitam aeter-
nam prouinde habere ius absolu-
tum & a conditione purum.

XV. De pacto vitae aeternae
a Christo cum Patre initio.

XVI. Auctoris de arguento
suo confidentia.

XVII. Vnde tamen sit, quod
mors sit adhuc hodie in mundo?
quod per eam tamen possit homo
peruenire ad vitam aeternam.

XIX. Instituitur repetitio ar-
gumenti Auctoris primarii eius.
que robur omne brevibus ante o-
culos ponitur verbis.

§.I.

XI.

Exponendam ante omnia esse mentem Auctoris.

Ratio nostri propositi postulare videtur, ut mentem Auctoris, differendi nobis materiam praebentis, breuiter exponamus. Cum enim liber iste Anglicana lingua sit conscriptus, nec nobis in oris ipsis degentibus admodum frequens & cognitus; necessitatem mihi imponi intelligo, ut scriptoris peregrini peregrinam & nouissimam sententiam legentium oculis paulo copiosius sistam. Quamuis enim & ego linguae huius omnino expers sim & ignarus; subsidio tamen ad destinata persequenda mihi veniet versio, vernacula lingua a VENERANDO PRAESIDE concinnata; quam fortasse, si per negotia, quae eum distinent hoc tempore, ipsi licuerit, quamprimum in manus hominum exire patietur.

II. Falsum esse, moriendum homini, si velit esse beatus;

Christum promisisse homini vitam aeternam.

Ab initio statim Auctor vulgatum illud & omnium sermonis tritum inducit prouerbium:

Ante obitum felix nemo supremaque fata;
quod, cum poeticum sit inuentum, figmenti nomine insigniens, omni experientia posthabita, audacter reicit; nec dictum illud antiquum: mortem ianuam esse ad vitam; seniori mente profert in medium, veritatem illius mentiendi probro destruere, quamuis frustra, studiose laborans. Hoc enim mendacio, inquit, mortales hac usque ita fuisse circumventos, ut nemo eorum mortem, crudelissimum humani generis hostem, a suis finibus repellere amplius conetur, spe ad coelestem & hac multis modis meliorem vitam consequendam flagrantissime erectus. Cum tamen omnibus esse debeat quam notissimum, ad sempiternae vitae fructu-
nem neminem admitti, nisi illum, qui, sive a longo, sive a breui temporis interculo sepulchro inclusus fuerit, denuo vitae restitutus, inque terram introductus, cum illo coelestium animorum coetu, bonis omni-

pag.

90

B

bii

bus circumfluentibus coniungatur. Et hanc esse illam vitam, quam diuinum Christi Numen nobis sit pollicitum; cum dixerit, nos per illum esse vieturis in aeternum, *is tibi diuina;* qua certe pollicitatione, veluti magnete quodam, totum sibi conciliaasset mundum. *Io. VI, 51, 58.*

III. Christi verba esse vera, aut Christum esse impostorem.

Cum vero cetera verba & assertiones Christi ab iis, qui doctrinae ejus asseclae reputantur, verae habeantur ac infallibles, quidni & haec, quae viri sancti ex ore eius, nullius mendacii conuincendi, excepta sacris monumentis inseruere? Et si verba ista mera sint verba, sine re ipsa, quam prae se ferunt, tum Christum fore impostorem paulo impudentius adserit. Interim se quoque minime negare, argumentum, quod *a moriendo consuetudine desumtum, sententiae suae opponitur,* vulgo maximam apud omnes vim habere; verum se accurate ipsis sponsorum promittit in iis, quae mox sequuntur.

IV. Respondet obiectioni a consuetudine moriendi petita.

pag. II. *Consuetudinem ergo, ait, nullam rationem habentem, argumentum esse stolidae delirantis.* Nec posse mortem aut vitam vnius hominis causam esse vitae aut mortis alterius hominis; nisi in utrumque idem incidat casus. Sic Abrahamum senectute confessum vitam cum morte commutasse; prophetis multis mortem violentam contigisse; an propterea sequatur continuo, alterutro mortis genere & se occubiturum? Ita Abrahamum, insignem illum fidei heroem, non obiisse mortem, quod prophetae fato perfungi debuerint. Si itaque, ita pergit, moriendi ratio, prout in singulis morientibus se exhibet, diuersa prorsus existat, nec mors vnius super alterum habeat effectum, cur ergo in me? Aut, quaequo, necessarium erat, ut Noachus pariter cum suis extingueretur, cum ad perdendam tollendamque ex orbe terrae malitiam vniuersalis illa & famosa oriretur eluvies?

V.

IN VITAM AETERNAM ABSQVE MORTE.

II

V. Obiectio noua aduersus responsonem Auctoris; consuetudinem facere aliquando ius.

Moriendi ergo consuetudinem argumenti loco stare non posse; aduersus quam responsonem si excipere aliquis velit, neque in constituendis iuribus inter homines haberi insuper consuetudinem, vbi consuetudo ab initio suam habuerit rationem; ipse iam incumbere sibi existimat, vt ostendat, quod nam tempus & quaenam ratio fuerit, vt illa moriendi consuetudo inualeceret; deinde, quod ratio illa suis limitibus fuerit inclusa. Quo facto, putat, vnumquemque suae sententiae, tam validis argumentis probandae, vltro ad plausurum, nec quemquam consuetudinem hanc, homini ad sui interitum viam adperientem, tanquam ius contra vitam, diutius esse admissurum.

VI. Concedit Auctor mortem habuisse in humanum genus possessionem.

Concedit itaque Auctor mortem possessionem quandam super mundum, quoque fines suos proferat, esse consecutam. Regnauisse enim ab Adamo usque ad Mosen in omnes homines sine vlo sexus, aetatis, aut ordinis discrimine, nec fuisse quenquam dominio eius exemptum, nisi vnum Enochum, virum illum eximia in DEum pietate maxime conspicuum. Alteram autem mortis dominii epocham, a Mose in hodiernum usque diem perdurantem, a solo Elia quondam fuisse interruptam, quem diuinis Numinis clementia, a mortalium confortio sciunctum, coelestium animarum coetui viventem pariter adiunxit. Admittit porro, hanc mortis in humanum genus possessionem satis praegnans, non tamen sufficiens esse, ad hypotheseos suae veritatem destruendam argumentum. Ut vero eidem obuiam eat, illudque, cum sit falsissimum, ex hominum animis penitus elidat atque euellat, monstrare adgreditur, illam possessionem etiam limitatam esse, ac certo fine circumscriptam.

B 2

VII.



VII. Adamus poterat sibi ius ad vitam facere perpetuum.

pag. Adamus, pergit, in eo statu positus erat, in quo aut sempiternae vitae suavitate perpetuo frui, aut, eandem petulanter spernens, mortem eligere poterat. Vitae enim propior ac morti exoptatissimam sane habebat occasionem, ut vsu arboris vitae ius aeternae vitae sibi faceret perpetuum. Vbi quidem existimat in neutra arbore neque vitae, neque mortis quandam fuisse vim aliquam physicam; sed cum DEus ipsas duobus ipsis nominibus discrepantibus sanctificasset, etiam obligatum fuisse ipsum, ut earum characterem facto ipso praestaret, iniuncto vniuersae creaturae mandato, ut ita agerent, quemadmodum homo effectum huius verbi persenticeret. Hic vero mirum fuisse, quod homo, aeternae beatissimaeque vitae destinatus, elegerit mortem; magis vero fuisse, quod idem, mortis potestati subiectus, priusquam ex paradisi finibus exturbaretur, protenta ad arborem vitae manu, pristinam felicitatem sibi non recuperauerit. Inde igitur euenisse, ut homo, sub maledictione arboris vetitae constitutus, morti succubuerit. Gen: II, 17.

VIII. Sententiam legis Gen: II, 17. causam mortis extitisse; & simul initium moriendi consuetudinis.

pag. Hanc itaque legis sententiam causam mortis hominis extitisse; neque minus consuetudinis initium esse ac originem, quod interire debuerit, ac fato suo succumbat. Nam licet lex ista soli Adamo fuerit tradita, antequam Eua, ex costa eius producta, ipsi a DEO adiungeretur; obligasse tamen una cum Adamo omnem creaturam, beneficio artificioque, diuino extitaram; Adamo omnes posteros repraesentante. Et sic Adamum hanc legem intellexisse & DEum quoque eandem, postquam homo, hac lege neglecta, secus fecerat, sibique ipsi ultimam cladem intulerat, clarissime exposuisse. Gen: III, 16.

17. 18. 19.

IX,

IN VITAM AETERNAM ABSQVE MORTE.

13

IX. Ab eo tempore uniuersam naturam interitum
homini struere.

Quo facto Deum uniuersae creaturae serio dedisse in mandatis, ut sese in homines, diuini praecepti pessimos transgressores, tota conuerteret, ad sententiam mortis in iis, nemine excluso, accurate exsequendam. Et ab hoc temporis puncto naturam, cum Dni mandato ac iussu statim satisfaceret, de perdendo homine satagere, eique interitum moliri.

X. Deum hominibus promisisse redēptionem.

Deinde autem Deum, hominis perditū misertum, protoplastis in eo loco annūciasse redēptionem, vbi serpentem, cuius instinctu primi parentes a Deo defectione secesserant, maledictis exserratus est & derestatus; & hac ratione Christam, ut ipse dicit, vitam esse huius mundi, mortis tenebris ante inuoluti, licet idipsum homines ignoren̄t. Io. VI. 33.

XI. Articuli maledictionem continent̄ lex erant mortis, uniuersum mundum, immo ipsum Christum sub suo imperio tenentis; sub hoc vero statutotum adhunc usque diem esse mundum; etiam Christum ipsum.

Interea articuli, quibus maledictio, ab omnium rerum Dominio maioribus nostris incussa, continebantur, lex erant pag. 20. mortis, homini significans, illū mortis laqueis implicatum esse, miserrimeque circumuentum, neque posse tetra mortis tyrannide liberatum antiquae dignitatis & decoris ornamenta recuperare, atque ad immortalis vitae gloriam peruenire, nisi nefas illud quo seipsum contaminasset, elueretur; Numinis religio violata sanctissimo quodam piaculo expiat̄ur; macula ex impiate & scelere concepta deleretur. Et hoc mortis dominio totum mundum huc usque fuisse op-

B 3

pres.



14 DE TRANSLATIONE HOMINIS
pressum, ne Christo quidem, huic malo salubrem medicinam adhibituro, excepto; ut potest, qui unus sit ex posteris, qui ex communibus antecessoribus veluti alii homines descendenter.

XII. Christum gaudere ratione nativitatis suae duplice descensu, naturali & legali; qui ultimus faciat, ut maledictio legis & mors ipsi incumbat.

Christum, ait porro, duplice gaudere descensu ratione ordinata & nativitatis suae; unum fuisse naturalem, qui ducatur ex Maria, vera eius matre; alterum descensum proficiisci a Iosepho, qui, coniugio cum virginе Maria contracto, parentis eius supponebatur ac existimabatur. Interim in genealogia, a duobus euangelistis tradita, saltem descensus a Iosepho ordinantis rationem fuisse habitam; naturali descensu a Maria derivato tantisper insuper habito & seposito. Legem enim esse, ut omnis foeminae progenies, coniugio durante prognata, ad virum referatur; licet sit evidentissimum, progeniem illam, ab alio quodam viro fuisse procreatam. A iure canonico legem hanc vterius extendi, ut quae velit, unumquemque partum, a quo cunque patre satum, licet ante coniugium contractum fuerit editus, (nisi modo a pristino marito sit progenitus,) illum profiteri patrem, qui postmodum cum matre inituit matrimonium. Quare & Christum, ait, secundum hanc legem suum ortum, materno descensu posthabito, numerare a Patre. Cum itaque euangelistae eiusmodi in Christo descensum voluissent describere, ex quo adpareret, maledictionem legis statim a nativitate ipsi incubuisse, necessum fuisse, eiusmodi proponere descensum, in quo lex efficaciam suam exercere statim posset. Hinc nunc sequi, non fortuito factum fuisse, quod Christus a virginе desponsata fuerit prognatus;

par-

partim enim id factum fuisse, ut natura eius ab omni vitio humano pura esset & incontaminata ; partim, ut maledictio per patrem legalem in ipsum deriuari posset. Atque hanc & non aliam esse causam, cur Christus mortem oppetuerit; legem videlicet, cuius poenam in se sponte sua deriuauerat.

XIII. Christi morte legem mortis esse abolitam.

Postquam alia, quae ad rem ipsam, quam agit, non adeo multum conferunt, attulerat, vterius demonstrandum suscipit, hanc mortis legem abolitam esse penitus morte ipsius saluberrima, vt pote quae longam illam mortis possessionem, quae huc usque in mundo, nullo mortalium obstante, viguisset, adeo extirpatam, extinctam funditusque euersam reliquisset ; ut etiam ius contra hominis vitam non amplius constituere possit. Quemadmodum enim debitum simul ac fuerit repensum, debiti nomine post deinceps minime veniat ; ita quoque legem, cui satis sit praestitum, legem esse desinere. Cum itaque lex ista toti humano generi lata, omnino mortem requisiuit, homini legi subiecto sustinendam; Christum, coeli vertice delapsum, in humana comparuisse natura, ad poenas, quas sponte nostra nobis contraxeramus, plene pro nobis luendas. Non potuisse vero cum hac lege obstringi, neque ad debitum exsolendum se praeparare, si aliter se habens, & alia ratione, in mundum prodiisset. Et hanc, inquit, esse causam, cur Christi genealogia fundamentalis sempiternae vitae pars sit. Quod vero morte sua legi fuerit satisfactum, inde eueniire, quod iustitiae legis satisfactionem ea ipsa praestiterit, antequam, quod extremum erat in executione, ipsum contingere posset, id quod tamen dignitati personae maxime adscribendum sit.

XIV. Christum ad vitam aeternam proinde habere ius absolutum & a conditione purum.

Cum itaque mortis potentia hac ratione a Christo deuicta esset.

effet ac depresso, sequi omnia, hanc legem mortis ablatam fuisse. Nam Christo victore existente, vim illius adeo fuisse debilitatam, vt omnia ea, quae in monumentis, leges has in se continentibus, relicta conspicuntur, non plus valoris habeant, ac folia mere inania, & calamo scribentis nunquam contrita.
 pag. 36. tere itaque, inquit, quod Christo, ad immortalis vitae gloriam obtinendam, absolorum nec vlli conditioni innexum ius competit; vsque adeo, vt nequaquam timendum sit, ylla ratione eam ipsum posse iterum perdere; nam durationem eius fore aeternam, cum persona, cui annexa sit vita, in omnia secula sit extituta.

XV. De pacto vitae aeternae a Christo cum Patre inito.

pag. 37. Et hoc esse illud argumentum, autumat, quo munitus do- strinam suam defendere, & sibi totique mundo vitam aeter- nam vindicare possit. Necessum enim fuisse, vt Christus, adsumta humana natura, mortem obiret; & hoc pacto verita- tem verborum DEI: quocunque die comederis de arbore vetita, morieris; cum amore suo erga homines, & suum amorem cum veritate sua conciliaret. Hinc factum fuisse, vt inter Patrem & Filium conuentio quaedam fuerit, instituta, antequam Chri- pag. stus, coelo relicto, in mundum prodiisset. Haec conuentio, vt 41. adserit, pactum vitae aeternae vocatur. Momentum, in quo pa- pag. ciscendi actus fuerit institutus, aeternitati adscribi debere. 43. Partes vero, quae inter se hoc pactum iniissent, Patrem esse & seq. Filium. Articulum a partibus istis compositum hoc contine- re, vt in pristinam libertatem vindicaremus. Obsignationem fu- isse factam ipsius Filii sanguine, pro peccatis nostris, quibus in- quinati eramus, largissime effuso. Testes, quorum praesentia pactum illud robur accepisset, ex accidenti totum exitisse ter- rarum orbem, directe autem Christum ipsum, Io. XIIIX, 18. Ce- remonias denique & ritus, in paciscendi actu adhibitas, non ali-

ter

ter se habere, quam homines in eiusmodi casibus adhibere consuecant; vbi nempe unusquisque operam impendat, ut se rei, de qua agitur, faciat participem, acceptetque quae vi pacti promittuntur. Ut cunque vero in instrumento, ut vulgo loquuntur, quod de hoc vitae aeternae pacto conditum sit, partium contrahentium nomina non legantur expressa; unquamque tamen hominem ita describi, ut libertati eius sit relatum, partem se in hoc pacto constitueret. Verba huius praescriptonis esse tum posita, Io. VI, 54. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Tum negata, Io. VI, 53. Nisi comedieris carnem Filii hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis ipsis. In his verbis, existimat, respici sanguinem, non tantum ut languinem, sed & quatenus sigillum huius sit pacti. Hinc nostri officii esse, ut non solum ad aeternae vitae gloriam consequendam cupiditate flagremus; sed etiam, ut vires nostras eo conferamus, huius ut vitae, vi huius parti, & per viam vitae IESU Christi compotes siamus. Qui vero alia ratione hinc ad sublimiores sedes admitti cupiat, illum grande nefas & facinus commissurum esse credit, haec sacrae codicis verba eum in finem adducens: qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed aliunde, ille fur est & latro.. Io. X. 1.

pag.
53.

56.

XVI. Auctoris de argumento suo confidentia.

Hoc modo pactum illud ab Auctore expositum intueri licet. Nunc omnes diuinarum litterarum prouocat scientissimos professores, ut negatum eant, si possint, quidpiam circa ea, quae a se mundo sint communicata; vrget iuris peritos, in legum explicatione excellenter versatos, orans, ut sibi ostendere non grauentur alterius iuris notitiam, atque hoc se habet; denique vero ab omnibus ratiocinandi pracepta tradentibus efflagitat, ut robustioribus argumentis euincant, falsum esse illud, cuius summa sit & epitome: Legem Adamo post lapsum latam,

pag.
56.

originalem causam esse mortis , eamque legem esse abolitam morte Christi, Salvatoris nostri indulgentissimi. Inde igitur sequi, legem mortis potestatem penitus esse sublatam.

XVII. Vnde tamen sit, quod mors sit adhuc hodie in mundo? quod per eam tamen possit homo peruenire ad vitam aeternam.

Quod autem mors adhuc in mundo permaneat, inde fieri, quod homo viae, ad beatorum sedes nos ducentis, prouersus sit inscius; & mortem possessionem, quam in mundum sibi adsciscat, insolenterq; arroget, eo nomine tueri porro, quod nemo exitisset huc vsque , qui non eandem trepidanter timerit. Vnde iam eueniat, quod fides nostra de vita aeterna consequenda, fucata & foeda superstitionis labe valde inquinata sit. Addit deinde, si mors & resurrectio Christi nobis

pag. via esse debeat & transitus ad vitam aeternam, sequi, illum, 62. qui per has transierit , peruenire ad coelestis vitae gloriam, pag. siue mortem oppetierit, siue viuens hinc auferatur. Interim 64. tamen procul abs se esse ingenue confiterur , vt adserere velit, homines vita aeterna potiri non posse, qui moriendi consuetudini, inter homines semel introductae , se submittant, cum primis cum sacrarum litterarum monumenta ipsis etiam sempiternae vitae fruitionem attribuant lo. XI. 25. Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, et si moriatur, viuet : omnis vero, qui viuit, & credit in me, non morietur in aeternum.

XIX. Instituitur repetitio argumenti Auctoris primarii, eiusque robur omne brevibus ante oculos ponitur verbis.

pag. Quamuis igitur mors, veluti amnis , ruptis aggeribus, to- 77. tam inundauerit orbem, & terror eius proinde omnem carnem perulerit , haudquam tamen dubitat, assertiōnē suā ab initio resūmēre. Statuit itaque , vt breves simus;

longum mortis dominium, quod in humanum genus huic usque exercuisset, non amplius durare aduersus homines. Neque posse illius durationem, per multi a secula persistentem, homini ad vitam praeccludere aditum. Quapropter unicuique ea sit concessa facultas, ut ius sibi illud summo cum effectu vindicet, idque si cum effectu fiat, interrupta mortis possessione, id ipsum denuo plenissime recuperare posse.



SECTIO II.

QVA IUDICIVM FERIVR DE AVCTORIS SENTENTIA.

SYNOPSIS SECTIONIS SECUNDVDAE.

I.

Sententiam Auctoris, si vera sit, forte omnibus futuram esse gratissimam; in cuius tamen veritatem nunc sit inquirendum.

II. *L*usus ingenii in rebus sacris non esse probandos.

III. Attendendum esse imprimis ad animi dispositiones, quae sunt in Auctore; num a cupiditate gloriae fortasse sit ad scribendum impulsum?

IV. Auctorem possidere multas animi dotes, praesertim pulchrum ingenium, acumen, & demonstrandi artificium.

V. Interim in propugnanda semel arrepta sententia esse pertinacissimum.

VI. Comiter tamen esse a nobis habendum.

VII. Non esse nostri operis omnia revocare ad examen; multa enim nimis esse, & in multis ipsum sentire recte.

IX. Omnibus sine exceptione hominibus esse moriendum, toties adserere sacram scripturam, cuius testimonia non possint tam facile elidi.

X. Consideratur primarium Auctoris argumentum; ubi pariter de fructu mortis Christi, de Christi promissionibus circa vitam aeternam, de pacto vitae aeternae.

X. Quid ergo mors sit intuitus fidelium?

XI. Sententiam Auctoris iniuriam esse in apostolos, martyres & omnes sanctos.

XII. Disputatur contra Auctorem ex Auctore ipso.

C 2 I.

Sententiam Auctoris, si vera sit, forte omnibus futuram esse gratissimam; in cuius tamen veritatem nunc sit inquirendum.

Haec, quae ex Auctoris libello dedimus excerpta, ad mentem illius rectius pleniusque percipiendā sufficiant; plura quidem excerpti possent, cum multa eaque egregia passim nobis occurrant, quae notatu sunt dignissima, & mereantur, ut paulo prolixius exhibeantur; verum, ne lectori ob nimiam prolixitatem simus incommodi, operam impendamus, ut, quae de sententia viri nobis videantur, breuibus nunc subiungamus. Rem ipsam, ab Auctore nobis communicatam, quod attinet, non dubium est, quin, si vera sint, quae sentit, maximam gratiam apud vniuersum mundum sit initurus. Ingenioso enim reperto, de quo vix crediderim, ut & ipse credit Auctor, ullum cogitasse hominum; timore, quo humanum genus nunquam maiori percuti solet, ut homines exsoluat, sollicitissime dat operam. Quam enim maxima mortalium pars, tanquam truculentum hostem, ultimam plagam sibi inferentem, tam valde & insigniter horret, & ad eius vel solum nomen vehementer contremiscit, spernit ille intrepide, eiusque potestatem ponit veluti in minimis. Hunc certe nuncium omnibus fore gratissimum confidimus, praeter unicam gratiosissimam gentem, medicos, qui, nisi homines timoris morte tenerentur, quid est, quod multum agerent & interim vero cum eadem nobis in iudicando concessa sit libertas, qua ille in libello suo conscribendo usus est, studebimus, ita auctoris mentem ad examen reuocare, ut omnibus, ista legentibus, innotescat, nos omnia veritatis studio, quod habendum estante omnia, tribuere voluisse.

II. L. N.

II. Lusus ingenii in rebus sacris non esse probando.

Vbi quidem non dubitamus, multis Auctorem nostrum visurum esse voluisse ludere ingenio suo, quod a natura habet, satis felici; & vero constemur libenter, eiusmodi ingenii lusus non proorsus esse contemnendos, quod iisdem mentes humanae frequenter exerceantur, & inde in alios plurimum tum incunditatis tum utilitatis redundare possit; vt & multa huius generis vbiique prostant eruditorum monumenta, quae lectoribus non minus insignem admirabilitatem faciunt, quam auctoribus suis famam conciliant. Verum multo maiorem venerationem sanctissimis Dei oraculis a nobis debeti, sumus persuasissimi, quam ut integrum nobis esse opinemur, ludos ingenii circa eadem instituere, & eiusmodi inuentis laudem parare sibi velle. Alia nobis obuersantur numero infinito, in quibus ingenii dexteritatem animique facultates, si ita libeat, experiri liceat & exhaustire. Procul autem sit ab omnibus, quibus venerabilis est religio & res sancta, sacra sanctae codicis auctoritatem conatibus eiusmodi profanioribus imprudenter laedere; nec committamus vuquam, ut horridioribus opinionibus, & ab omnium mente discrepantibus, nec ab ullo mortalium yngnam admittendis, diuinas imperamus veritates; ut quondam Adamum quoque Peyrerium eiusmodi aliquid fecisse meminimus, qui pro ingenii sui pruritu non veritus est, hominibus persuadere, iam ante Adamum, quem sacrae litterae primum hominum aperte docent fuisse parentem, extitisse homines.

III. Attendum esse imprimis ad animi dispositiones, quae sunt in Auctore; num a cupiditate gloriae fortasse sit adscribendum impulsus?

Ceterū de eiusmodi hominū commentis, melius pronuntiari non posse arbitramur, quā si de animi constitutione, qua sae-

penumero homines ad aliquid singendum impelluntur, certi
simus & persuasi. Inueniuntur enim eiusmodi animi affectus,
qui homines non mediocriter stimulant, ut mira quaedam
communiscantur; de quibus nunquam certe cogitassent,
si animus his motibus liber, nec ab iisdem in transuersum
raptus fuisset. Huc imprimis est referenda vanae gloriae cu-
piditas, qua concitus homo antiqua, & diurno vsu iam fa-
miliaria, veluti recosta fastidit, & contra alia omnia adponere
studet. Se ipsum enim tenet persuasum, parum laudis esse con-
sequuturum, licet verissima in medium adducat & utilissima,
nisi aliquid noui excogitet; nulli ergo parcit industriae, ut ea
hominum oculis exponat, quae a communi horum sensu rece-
dunt quam maxime, & ad curiositatem excitandam ad prime
comparata sunt; si ergo & hoc simul contingit, ut res vsum ali-
quem praebere, & aliorum affectus suauiter demulcere vide-
antur, facile consequitur plerorumque adplausus. Evidem
cum ista in animo hominis maximam partem lateant recondi-
ta, non ita aperte imputari possunt Auctori; praesertim si alia
omnia non minus probilibus praetexat suae affectioni ar-
gumentis. Vtrum ergo eiusmodi quidpiam de nostro Aucto-
re statuendum sit, nec ne? vnicuique expendendim relinqui-
mus. Nobis tamen ab ista imbecillitate non prolus ipse vide-
tur esse immunis; cum aliebui se ipsum, veluti portentum aut
monstrum aliquod hominum oculis exponat, quem alium in
96. finem, nisi ut omnium excitet in se admirationem, mundique
adplausum mereatur ipse, veluti inaudite mirabilissimeque
rei primus auctor & iauentor?

*IV. Auctorem possidere multas animi dotes, praeser-
tim pulchrum ingenium, acumen & demon-
strandi artificium.*
Vt cunque deum sit, quod Auctorem ad foctum hunc pa-
riens

IN VITAM AETERNAM ABSQVE MORTE.

23

riendum compulerit; an lusum ingeniose agere; an vanae immortalitatis alicuius spei fructum frustra conseruari; an toti denique mundo hoc nouo mortem effugiendi artificio delectationem quandam creare voluerit; nolumus equidem adfirmare; licet, quod vltimo loco diximus, nec Auctor ipse videatur abnuere: eo vsque enim ait, se sibi hoc nouo inuento blandiri, vt certissima spe fruatur, illos, qui ab aliis negotiis vacui, lectioni sui libelli horas aliquas impensuri sint, tam iucunde esse tempus traducturos, quam vnquam in vita rei alicui faciendae insutserint. Scire enim se, nihil pene nobis iucundum in vita humana esse atque acceptum, quod nouitatis nomine non veniat, & inde hanc, quam nemo vnquam proposuerit, sententiam omnibus fore, auguratur, gratissimam acceptissimamque. Siue denique gloriae studio addictus amplam famam animo caprauerit; illud iamnen nobis confitendum esse arbitramur, illum in sacris litteris virum esse versatissimum, ingenio pollere eximio, & in dicti acumen possidere praestantissimum: quod impi:imis ex denonstrandi artificio, quod in libello conscribendo adhibuit, euidentissime eluet.

pag.
6,7,
99.

V. Interim in propugnanda semel arrepta sententia
esse pertinacissimum.

Illud autem nouo auctoris dicere datur exemplo, quam peruvicax sit plerorumque hominum genus in iis retinendis ac defendendis, quae letem tanquam vera ipsi arrisere. Tanto enim amore nonnulli etiam eruditissimorum in suos feruntur foetus, vt prius vitam si am, quam amorem, quo illos tenerime amplectuntur, deponere gaudeant; non absimiles in hoc matribus, quae, quamvis deformes & incompositis membris praeditos liberos eximie diligunt, maximoque & incorrupto prosequuntur affectus; d'stu enim difficile est, quan topere eorum mentes falsae opinioni, quam arripuerant, insistere soleant; &

quan-



quantopere laborent; ut videantur de eius rei se veritate esse
 conuictos, ad quam expoliendam tot annos insumerant.
 Quanta vero confidentia illum credamus sententiam suam
 propugnaturum; qui adserere audet, nisi qua Christi men-
 pag. tem explicat, interpretatio sese recte habeat, eum esse im-
 10. postorem? Ita sibi tam familiariter se reddidisse, ut si
 vel absque dolore transire, vel loqui frequenter amat, per
 mortem & resurrectionem posset, non ultra se aestimaturum
 esse hoc experimentum, ut ad vitam aeternam comparan-
 dam respicit, quam ut exinde euidenter cognoscat, nihil in
 ipso esse, quod attendi mereatur. Demum se post hanc omnia,
 pag. ait, ipse fungatur fatus, declarare se omnibus, mortem se oppetere,
 95. ut hominem nulli religioni aut fidei addicatum. Nec tamen con-
 cedere vult, insolenti aliqua temeritate aut mentis intempe-
 rie ductum se aliquid dixisse, cum nihil prouersus dixerit, quod
 non loquutus sit is ante eum, qui ipsum fecerit. Ceterum si
 fieri possit, ut aliquis nimia credulitate erga Deum sit adse-
 & sus, nihil magis se desiderare, quam ut huius peccati reus ae-
 stimetur. Interim de reliquis nostrae religionis partibus nul-
 lum se fouere dubium, sed unum saltem articulum se addere
 velle reliquis, sine quo reliquos non rite posset interpretari
 & intelligere.

VI. Comiter tamen esse a nobis babendum:

Qualiacunque nunc ista sint, quae adhuc protulimus in
 medium, permouent nos, ut censeamus, cum ipso humaniter
 esse agendum, ut cum viro eruditione conspicuo, ingenio
 amoeno pollente, & tandem argumentis probabilibus praec-
 occupato & pugnante; licet persaepius adpareat, suauissimo
 somno esse correptus. Evidem mire aliquando scripturae
 dicta explicat, ut risum & indignationem ut plurimum pro-
 vocet; unde grauius videbatur esse reprehendendus. Verum
 nostrum potius sit officium, erranti & a veritatis via impru-
 den-

IN VITAM AETERNAM ABSQUE MORTE.

25

denter descedenti comiter monstrare iter, in quod si ope nostra reducere eum possemus, credimus, fore, vt de aliis opiniones suas largitus sit veritati. Quapropter licet quam plurima sint, quae in exiguo hoc opere mereantur virgulam censoriam; tamen circa praecipua subsistere nos iubet exiguum, cui includimur, spatum. Si enim mirabili sententiae fundamentum subduxerimus, cetera sua sponte corrident.

VII. Non esse nostri operis omnia revocare ad examen; multa enim nimis esse, & in multis ipsum sentire recte.

Quod si enim singulis insistere cupiamus, & temporis & chartae spatium nobis prolixius esset suppeditandum, quam nobis nunc ipsi indulgere constituimus. Nec silentio praetereundem est, plurima ipsum allegasse, quae recte se habent, & sunt verissima; potuisse Adamum, si voluisset, moriendi necessitatem effugere, & perpetuae vitae usura frui, dum ipse adseuerat, & nos habet consentientes, & eo ipse, quod nobis est gratissimum, luculenter satis ostendit, ad causam mortis ineuitabili Dei sententia eundem non fuisse alligatum: sic sententiam diuinam Gen. II, 17. causam mortis humanae continere, cum scribit, cum Socinianorum & Arminianorum errore nihil sibi esse commune declarat, qui nescio quam imperite primi hominis corpus mortale exitisse, si vel maxime peccatis se non inquinasset, comminiscuntur; quena errorem dextre proflicant Viri eruditissimi; Io. CONRADVS DANHAVERVS *Hodosp. Phoen.* IV. pag. 859. & V. p. 437. 438.

ADAMVS SCHERZERVVS Colleg. Anti-Soc. Disp. XXIX. p. m. 278. 292. seq. Tam bene quoque se habent, quae de Christo, sub maledictione legis existente, differit; cum huius rei clarissima habeamus scripturae testimonia Gal. III, 13. IV, 4. De genealogia autem Christi, quae disputat, aliorum quoque sententia est; sed non extra omnem dubitationem posita; quamuis eandem discutere nimii nunc sit laboris; quem vero depreca-

D

ri



ri licet eo magis, quoniam iam diu viri. Celeberrimi multa in hoc negotio desudarunt; e quibus nominare sufficerit MARTINVM CHEMNITIVM in Harm. Euang. GERHARD, Io. VOSSIVM; HVG. GROTIUM, FRIDERICOV SPANHEMIVM; quae fere in compedium misit, ABRAHAM. CALOVIUS in Biblio illustrat. N. T. Tom. I. p. 555.

IIX. *Omnibus sine exceptione hominibus esse moriendum, toties adserere sacram scripturam, cuius testimonia non possint tam facile elidi.*

Itaque ad rei caput nos conferemus. Negat ergo omnibus hominibus esse moriendum; praegnantissimam vtique oportet adfuisse causam, cur ita sentiret, sacra scriptura vbique post lapsum tam grauiter inculcante moriendi necessitatem, nulla arte declinabilem. Hic vero non praeter rem esset, loca scripturae sacrae contra Auctorem in testimonium prolixius excitare; sed cum per uulgata illa sint, paucis possumus esse contenti. Modo igitur quid fiat communiter refertur I. Sam. XIV, 14. *Nam moriendo morimur. & sicut aquae effusae in terram [sumus,] quae non colliguntur.* Modo vt eo altius se res demittat in animum, ea de re instituitur interrogatio, quae cum adfirmantibus verbis constet, ex indole eiusmodi quaestionum, fortissimae negationiae aequipoller; Psal. LXXXIX, 49. *Quis vir viuit & non videbit mortem? eripiet animam suam e manu inferni? quasi dicatur, nemo est ex hominibus, qui viuat, & qui non moriatur;* quique eripiat se, ne in statum mortis perueniat. Modo inter morientes sit distributio, vt, cum ipsa exhaustat vniuersum genus hominum, inde colligatur, hic nullum excipi. Cob. II, 16. *Non enim est memoria sapienti aequa ac stulto in aeternum, eo quod pridem, quoad dies venturos, omni obliuioni traditum (est.) & quando moritur sapiens cum stulto?* Modo refertur hoc ad omnium notitiam; quae vero illa esse possit, si daretur vim mortis effugi-

IN VITAM AETERNA MBSQVE MORTE.

27

fugiendi occasio Cob. IX, 5. *Vt enim scientes sunt quod sunt mori-
turi; mortui autem non sciunt quicquam, nec amplius illis est moeror,
quia obliuionis traditur memoria eorum.* Ut taceamus, quae pru-
denter subinde inculcat Siracides, Cap. IX, 29. XIV, 17, 18. XXV,
37. seq. Luculenta autem cum primis duo sunt loca Pauli, quae
non possumus non hic adponere, ut pensiculatius aestimentur.
*Rom. V, 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, &
per peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo o-
mnes peccaverunt.* In quibus verbis non mortis tantum origo
memoratur, quae attribuenda sit peccato; sed pariter, ut ista lu-
ces in vniuersum mortalium genus peruerterit, monstratur. Ut
enim omnes peccarint in Adamo; ita & omnes peccato esse
obnoxios. Omnim autem clarissime Ebr. IX, 27. Positum est,
ait, *homini semel mori; post hoc autem iudicium.* Quo in loco ma-
nifestum est, praeter ea, in quibus postea nobis usum praebere
possunt, illud evidenter dici, ordinarie utique homini constitu-
tum esse, ut morte intercedente hinc transferatur ad iudicium.
Quae omnia, ut planiora reddamus plena interpretatione, ex-
pectandum a nobis, ad rem ipsam excutiendam pergentibus,
nunc non erit.

*IX. Consideratur primarium Auctoris argumentum; u-
bi pariter de fructu mortis Christi, de Christi promis-
sionibus circa vitam aeternam & de pacto
vitae aeternae.*

Nam tot mortalitatis ineuitabilis argumenta cum haberet
Auctor, fierine poterat, ut de re dubitaret, cum experientia
praeter ea tot annorum annueret, nisi haberet rationes ponde-
re grauiissimas? illas igitur, ut expendamus opera haud superfir-
ciania, postulare a nobis Lectores, facile persuademur. Ita eo
ergo libertissime ad stipulamur Auctori, legem illam, quae fuit
Adamo ante lapsum irrogata, originem praebuisse morti, eius-



que exitisse causam; iam supra enim, quod hoc in capite dissentiat a Socinianis, & qui cum istis faciunt, laudamus Auctorem: sed quam ille subsumptionem iam facit, meretur profecto, ut curatius expendatur. Id vero ante omnia animaduertimus, eundem fere in modum cum Auctore argumentari Socinianos, vt videatur ipse, quamvis in finem longe disparem, ab isto hominum genere rationem suam sumpuisse mutuo. Primum enim adffirmant ipsi, hominem terrenum, siue e terra formatum, fuisse mortalem; quae verba Socini sunt *Prael. cap. I. p. 1. seq.* id vero ex eo probat, quod cum Christus id, quod per peccatum & operam diaboli introierit in mundum, peccatum nempe peccatique poenas, sustulerit; mortalitatem tamen naturalem Christus nequaquam deleuerit. Deinde cum satisfactionem Christi pro nobis praestitam pernegerit plane, hoc iterum vtruntur arguento, quod, si eiusmodi aliquid a Christo fuisset praestitum, necesse sit, ut morte Christi mors quoq; ab hominibus subeunda, debuerit a Christo esse sublata; quod cum non admittat experientia, non posse dici, Christum a poenis, quas eramus promeritis, nos liberauisse. At vero licet eadem vtrinque Auctor noster & Sociniani, vrantur ratione, quae tamen exinde concludunt, sunt diuersissima. Nam quod vltimo loco Sociniani tanquam absurdum inferunt; id vero Auctor noster adeo pro absurdo non agnoscit, vt id quoque ambabus manibus, tanquam verissimum conuenientissimumque, amplectatur. Sed vt cum Socinianis iam dudum tegerunt ali; ita cum Auctore nostro nobis nunc est congregendum proprius. Hic vero legem ipsam *Gen. II, 17.* paulo intentius oportet intueri. Dixit ergo Deus ad Adamum; quo die comedes de ea, carbore scientiae boni & malii moriendo morieris. Vbi certe patet, mortem a Deo homini sermonis genere, insignem vehementiam habente, intentari. Quod si enim mandato diuino morem

sup

xli

non gereret, certissime omnino eum esse moriturū, siue morti superuenienti fore obnoxium ; vt proinde & mortalitas & mortis reatus per modum poenae ab homine contrahendus hoc loco intelligatur, vid. Glassius *Philol. Sacr. Gramm. Lib. III. Tract. III. Can. XXI. p. m. 581.* Quid autem per mortem illam significetur, nemo concisus expresserit, quam Augustinus *Lib. XIII. de Ciuit. Dei Cap. XII.* cuius verbalubet ad scribere; Non tantum [intelligitur] primae mortis pars prior, ubi anima priuatur Deo, nec tantum posterior, ubi corpus priuatur anima, nec solum ipsa tota prima, ubi anima & a Deo & a corpore separata punitur ; sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quae secunda dicitur, & qua est nulla posterior. Quicquid proinde voce mortis venit minatur Deus in poenam Adamo, legem suam violenti. Hic ergo in locum nostrum successit certe Christus, qui suscepit in se poenis, quae a nobis erant preferenda, nos abiisdem plenissime liberavit ; cumprimis & a morte. *Hof. XIII, 14. Ebr. II, 9. H. Tim. I, 10.* Vbi tamen, quae Auctor ait de dominio mortis super Christum, merentur emendationem. Cum enim *Ebr. II, 14.* Christus dicatur per mortem aboleuisse eum, qui virtutem habebat mortis, hoc est, diabolum, quomodo sub mortis dominio ipse fuerit, videre non possumus. Haec enim omnia sunt repugnantia, vt aliquis in morte sit, & sub mortis dominio; & tamen per illam ipsam mortem dominium mortis destruat. Cui, quae Petrus dicit *Act. II, 24.* accurate succinunt, *Deum resuscitauisse Christum, & soluisse mortis dolores, quemadmodum non erat possibile teneri, neg. Ieiā aī,* seu, quae vocis est propria significatio, dominio constringi, ipsum ab illa. Quod vero *Rom. VI, 9.* mors dicitur in ēri, non amplius Christo dominatura : ex quo videtur, colligi posse, mortem aliquando Christo fuisse dominatam ; id ut simplex negatio est accipiēda, quam notionem particula ista saepe & alias habet *Io. XV, 5. Rom. XVII, 17. XI, 6. Gal. III, 18.* Igī-

30 DE TRANSLATIONE HOMINIS
tur, ut ad institutum redeamus, in eo consistit *fructus mortis Domini*, vt mors sit a piis, & in Christum Saluatorem omnem animi fiduciam fagentibus, cœu poena, quae illorum peccatis erat infligenda, prorsus sublata atque abolita. Et hoc sensu accipiendae sunt suauissimæ promissiones de vita aeterna, quibus Christus suos ad se pellexit & retinuit. Talia sunt, quae habentur *Io. V, 24. II, 9. XI, 25, 26.* Ut enim Christus dolores mortis, poenae rationem habentes, loco nostrigistauerat, *Ebr. II, 9.* ita promittere poterat credentibus, ipsos non esse mortem vi-suros in aeternum; quod futurum fuisset, nisi ipse occupasset locum illorum. Et quemadmodum morte sua mortem aeternam deuicerat; ita poterat ipse vitam credentibus polliceri aeternam. Atque in hoc putamus consistere *vita aeternae patrum*, quod intercedente Christi merito, morte aeterna non sint perituri, qui credant in Christum; nam ita Christus ipse foedus hoc explicare nobis videtur *Io. III, 16.* Ado namque dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et *v. 36.* Qui credit in Filium habet vitam aeternam; qui vero non credit Filio, non videbit vitam; sed ira Dei manet super illo.

X. Quid ergo mors fit intuitu fidelium?
Quorū ergo mors? & quare adhuc

Omnēs una manet nox,

Et calcanda semel via lethi?

Cur: Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas.

Regumque turres, o beate Sexti?

Cur: Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam?

Cur: fugaces, Posthume, Posthume,

Labantur anni; nec pietas moram

Rugis & instanti senectae

Adferat, indomitaeque mortis?

Cur

Cur ergo

*Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor, neque harum, quas colis arborum
Te, praeter innisias cupressos
Vlla breuem dominum sequetur?*

Non negamus mortem stipendium esse peccati, Rom. VI, 23. Neque negamus, si homo non peccasset, non fuisse quidpiam de morte audiendum; sed illud negamus, mortem nunc piorum atque credentium intuitu esse adhuc poenam. Namque hic tantum abest, ut eam dicamus poenae rationem habere; ut pro beneficio diuino sit habenda, utpote quae sit a DEO ordinata, ut hominem in vitam aeternam, si animam respicias, statim transferat. Apoc. XIV, 13. Sap. III, 1, 2. Nec poenam statim esse, quod sine anima sit corpus, facile intelligit, qui primi hominis corpus a DEO de terra pulucrem formatum, etusque demum in narces animam vitarum inspiratam esse Gen. II, 7. nouerit. Hic vero sum mam liceat venerari DEI sapientiam, qui, cum alias omnia cedere iis iubeat in bonum, qui ipsum diligunt, Rom. IX, 28. ipsam quoque mortem, quae erat poena in peccatum constituta, mediū ad salutem plenissime obtainendam esse voluerit. Res intelligetur porro, si in odo, quod nec ipse Auctor abnuet, cogitauerimus, mortem non amplius prius a DEO, ut ab irato iudice, immitti; sed ut a patre, qui sit iam cum fidelibus reconciliatus, &, ut eos possit summae gloriae reddere participes, ad contritum illos redigat dicatque: recuertimini filii hominis. Psalm: XC, 4. Id quod alioquin in more positum DEO est; nonne enim vel ipse Auctor confitebitur, absque peccato si fuisset, nihil fuisse calamitatum, quae adfixissent hominem? & tamen nunc etiam, postquam cum DEO iterum redivimus in gratiam, eoque ut benevolentissimo patre fruimur, quibus nunc afflictionibus exercentur carissimi illius filii? illo tanta saepenumero iisdem immittente mala,

DE TRANSLATIONE HOMINIS

ut eos inter atque pessimos mortalium, nullum intercedere di-
scrimen, si externis inhaerere placeat, plerisque videatur Ebr.
XII, 6. Quem enim diligit Dominus, corrigit: castigat autem omnem
filium, quem suscipit. Et v. 8, si vero sine castigatione es sis, cuius omnes
participes facti sunt, utique non habes filium, & non filius. Videantur &
quae regius Propheta eam in rem disserit Psal. LXXIII. i, 14. Esse
vero mortem ex institutione Dei medium, quod fideles ad ae-
ternam gloriam ducat, Paulus apostolus non pios saltem docet,
II. Cor. V, 4. 5. 6. 7. 8. 9. Nam etiam dum sumus in tentorio ge-
minus grauati; quia non volumus exi, sed super in lui, ut absorbe-
tur mortale a vita. Qui autem ordinavit nos ad hoc ipsum [ut mo-
remerum] Deus (est,) qui etiam dedit nobis arborbonem Spiritus.
Confidentes igitur semper [sumus] & scientes, quod, dum habitamus
in corpore, peregrinemur a Domino: Per fidem enim ambulamus, non
per speciem. Confidimus tamen & probamus magis peregrinari e cor-
pore, & habitare apud Dominum. Propterea etiam cupide studemus,
vt, siue habitemus, siue peregrinemur, sumus per accepti ipsi (Domino,)
sed & ipse suo exemplo monstrat Philip. I, 21. vt qui lucrum esse
putabat mori. Si lucrum; ergo credebat morre se transferri ad
excellentiorum vitam & gaudia. Vnde addebat porro, v. 22.
Angor enim utrinque, cupiditatem habens, ut dissoluer, & cum Christo sim, quod multis modis melius. An ergo poena ob peccata ho-
minibus irroganda, pios eum in statum potest transponere, vt
ipsis sit melius quam nunc in vita, in qua fruuntur Spiritus san-
cti atque aeternae vitae primitii? Eleganter vero iterum Au-
gustinus Lib. XIII. de Civ. Dei. Cap. IV. Per ineffabilem Dei
inquit, misericordiam & ipsa poena vitorum transit in arma virtutis.
Non quia mors bonum aliquod facta est, quae ante a malum fuit;
sed tantum Deus fidei praestitit gratiam, ut mors, quam vitae constat
contraria, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam. Vi-
dendus & hic est Io. HÜLSEMANNVS Breu. Cap. XVI. §. XIII. pag.

IN VITAM AETERNAM ABSQVR MORTE.

33

449. & 80 HEBERZERVs ista explicans p. 134. 135. Inde profecto est,
quod mors piorum tam grata , & nihil quicquam molesti ha-
bentia nomina gerat ; vocatur enim a Simeone, mortis candi-
dato , ἀπόκρισις *Luc.* II. 29. dicitur ἐν ταῖς ἀποστολαῖς ; *Ebr.*
XIII. 7 dicitur & δούλοις τὸ σκυνθάνετο . *II. Petr.* I. 14. & *II. Cor.*
V. 1. καθαύων τὸ σκύνει τὴν ἐπιγένειαν διατασσεται , quam sequitur
διαδοῦντι τὸν δεῖγμόν την αὐχερερποῦντος . Sic & Christi mors dicitur
εξοδός . & αὐλαντις . videatur ABRAH. CALOVIVS *Tom. XII.*
System. p. 12. Atqui, inquires, si Christus sustulit mortem aeter-
nam penitus, & non tantum ut non amplius sit poena ; haec ea-
dem ratione & mors temporalis fuit auferenda ; sed hic longe
dispar est ratio, a morte enim aeterna in peccatore poenae ra-
tio separari nequit ; tum quod sit aeterna ; tam quod non nisi
ab irato iudice possit infligi, tum denique quod transitus ad vi-
tam meliorem esse nequeat ; quae secus se omnino habet in vi-
ta temporali.

XI. Sententiam Auctoris iniuriam esse in apostolos,
martyres & omnes sanctos.

Id quoque adiiciendum videtur, hanc Auctoris sententiam
cum sanctissimorum patriarcharum, prophetarum, apostolo-
rum, fideliumque martyrum & tanto numero sanctorum es-
se coniunctam iniuria. An enim, si fide in Christum Iesum
transfisi hinc potuit in vitam aeternam, ut morte non auelle-
retur a corpore anima ; an inquit, potuerunt illi in fide heroi-
es tantae rei esse ignari ? & poteratne Auctor comparare sibi
maiorem in isto negotio, quam illi, notitiam ? quae tam tut-
pis illa in viris diuinis fuisse vel negligentia , vel ignavia,
morti se ad dissolutionem animae atque corporis sui praebet-
re sponte , cum daretur inimicete posse beatae aeternitati,
vel absque ista molestia ? Ad quae scripturae dicta ille potissi-
mum prouocat, a Iohanne Apostolo sunt consignata. At ipse
vero

E



vero beatissimus apostolus expleta demum mortalitate animam suam demum Deo reddidit. Intellexitne ipse parum quod scripsit, an quod intellexit, minus est secutus? Exierat quidem aliquando fama interfideles: *discipulum illum non moriturum.* *Io. XX, 23.* quoniam videlicet Christus dixerat ad Petrum: *Si illum volo manere donec venio, quid ad te?* sed falsus ille erat sensus & falsa opinio; nec enim verbis istis significare Iesum voluerat, nullo mortis ipsum genere hinc esse abiturum; siue naturalis illa sit, siue violenta; sed cum conditione locutus erat; rem diuino consilio suaque sapientiae reseruans; & de aduentu suo ad discipulum speciali, quae fuit per mortem naturalem, qua moriturus ipse esset, erat sermocinatus. Videat ergo, quam temere verbis Christi: *qui ascendet alundus, is est fur & latro.* *Io. X, 1.* sit abusus, Auctor, cum supra Sectione I. §. XV, ad illos eadem applicaret, qui alia via, quam ipse vult, nempe per mortem, in aeternam vitam inuadere cupiant. Non putauerim, animas DEO amicissimas tanta in mortis confinio futuras fuisse constantia; si praeter fidem christianam nefario ausu vel superfluo aliquid ista in re tentassent. *Rom. II, 9, 38.* *H. Tim: IV, 6, 7, 8, 18,*

XII. Disputatur contra Auctorem ex Auctore ipso.

Id restat adhuc, ut suis Auctorem laqueis irretiamus. Con pag. fitetur ipse, quod post lapsum vniuersa creatura in Adamum 17. omnia emque hominem fuerit conuersa, noxam illi allatura; quod ita esse, iam constat inter omnes; cum, quicquid antea ad hominis delicias & vtilitatem erat conditum, nunc mortem ipsi, vi legis diuinae, molliatur. Atqui vero licet iam cum DEO simus reconciliati, non tamen cessant creaturae minus homini esse infestae, ut quae sanissima illi esse videntur, cedant demum in ipsis interitum. Deinde vicunque Auctor miranda videatur praeditus esse fide, quae in nullum praeterea cadat hominem, qua mortem velit euitare; id tamen ad-

IN VITAM AETERNAM ABSQVE MORTE. 35

adseuerat hac conditione, nisi vitae suae vis inferatur. At qui vero, si morte Christi mors penitus est ablata, si fide aliquis in mortem & resurrectionem Christi nitatur, qua ipse tantopere gloriatur; nec vi ipsi eripi poterit vita, vt nec ante lapsum morti in corpus hominis patebat via. Sed credidimus, melius bonum virum refutaturum esse euentum, qui vt ipse sit felix, sincere precamur.

S. D. G.

COROLLARIA.

M^Vndum a DEO fuisse conditum, ex natura demonstrari posse.

1. Mundus exigua regitur sapientia.
2. An licitum sit alteri in casu necessitatis suum eripere?

EX IMIO IVVENI
CHRISTOPHORO Io. VVILCKIO,
AUDITORI SVO DILIGENTISSIMO,
FELICISSIMA QVAEQUE ADPREGATVR
Io. GEORGIVS PRITIVS,

P R A E S E S.

*

T^V quoque, Iuuenum optime, commilitonum tuorum, SCHOENLEBII atque PRÖCKII, exemplo inflammatuſ ad eruditum Te paras conflictum. Laudo pulcherrimum animi propositum; nam & hac ratione, quid profeceris in optimis studiis, declarabis publice, & quaenam Tibi ad ulteriora capessenda mens se deat, spe-

cimine



ADLOCVTIO PRAESIDIS. VI

35
cimine non vulgari explicabis. In argumentum incidi-
sti, quod non nouitate saltem suase commendabit; sed in
quo etiam vires tuas abunde potuisti experiri. Ut vero
paucissimos crediderim mortalum, in Auctoris, quem
reuincedum Tibi sumfesi, concessuros esse sententi-
am; ita de victoria, quin gratulandum Tibi sit, eo
minus dubito. Et Tu quidem ita bonam causam egisti,
ut ne quidem doctiorum Tibi defore adplausum cupiam
desperare. Quamuis enim iuuenilis hinc inde in verbis
emicet luxuries; eam tamen existimo aetatem tuam
adeo non dedecere, ut eam aliquo modo honestet. Argu-
menta Viri si potuerunt maxime rationibus vel pluri-
bus, vel euidentioribus & maioris iudicii acie dissolui;
facile tamen, quibac intelligunt, iudicaturi sunt, Te di-
xiſſe, quod satis est. Ego vero Tibi eo animo adpludo,
quem ultra biennium, quo coniunctu meo partim & ho-
spitio uſus es, Tibi imprimis velle, saepe potuisti perspi-
cere; utque ex illo tempore indolem tuam ad sinceram
pietatem ardenter procluem, & ad recta studia inde-
fesso labore contendentem, altissime inspexi; ita haud
quaquam vereor omnium bonorum Te commendare
fauori. Perge modo, iuuenis mihi carissime, virtutisque
praemia Tibi olim non esse defutura, me sponsore, Tibi
redder persuasissum. Vale! Scribebam Seruetae
die XII. Cal. Maii. A. O. R. cl. I. ocl.



Ab: 155 159



5b.

VJ 17





61.
DISPVATATIO THEOLOGICA,
DE
TRANSLATIONE
IN VITAM AETERNAM
SINE TRANSITV PER
MORTEM,
RECENTISSIMO SCRIPTORE ANGLO
I. O. ASGILL,
AD SERTA,
QVAM SVB PRAESIDIO
VIRI SVMME REVERENDI,
JO. GEORGII PRITHI,
SS. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSO-
RIS PVBLICI,
PRAECEPTORIS SVI ET HOSPITIS
OMNI HONORIS CVLTIV
PROSECVENDI,
CVM ERVDITIS INSTITVET PVBLICE
IN ILLVSTRI ANHALTINO, QVOD EST SERVESTAE,
CHRISTOPHORVS Io. VVILCKIVS,
BARBIA-SAXO,
AVCTOR ET RESPONDENS.
HABEBITVR CONFLICTVS
AD DIEM XXII. APRILIS A. O. R clc Ie cci.
H. L. Q. C.

SERVESTAE, TYPIS BEZELIANIS.

